

Ibi pronascitur, laborat, custodit bonus deus;
 Ibi tu es homo, sicut ego, invitatus advena,
 Fruaris ut vitae voluptatibus et gaudiis.
 RE. Pol verast tua, nullus ambigit, ratiocinatio.
 Bo. Homines tamen mihi propinquos curare debeo,
 Non illos, qui casu procul sunt a domo patris mei?
 Illi ideo ne sint amati mi, quod alienis moribus,
 Alieno vitae modo, aliena lingua differunt?
 O si mores isti alieni, alienus vitae modus,
 Alienam lingua tale cor humanum contegit,
 Eius modi cor, quod in meo palpitat pectore,
 Tum hominem alterum magnanimum, ut amicum et fratrem meum
 Amplexor et laborare illius fortunam cupio.
 RE. Iamne es tuas omnis eloquutus querimonias?
 Bo. Cavilleris modo licet; superbe vos et contemptim alias
 Gentis contemnitis. Vere pusilli esse videmini,
 Nam vos in solis estis occupati vostris sensibus.
 Vos solos aestumare posse Romanos videmini,
 Sed pol homines tamen alienos habetis odio,
 Neque in eo aestumatis sanctum ius humani generis.
 RE. Huius narrationis iam labori parceres,
 Nam haec mihi Karthagine vir ille longa barbula,
 Quem vos sapientem dicitis, iam dixit clanculum.
 Bo. Credo equidem, vir ille neququam loquitus est.
 RE. Vostram meum caput non percipit sapientiam.
 Bo. Tu contumax! — RE. Ita est, constans. — Bo. Ubi sensus est mor-
 [tuus,


Sensus ibi operari non potest. — RE. Quin immo maxume
 Pol sentio atque istoce sensu te, Bodostor, percipio
 Falsum vero miscere; multa quidem eloquutus es
 Diis de magnis, qui quasi patres, nos omnis homines
 Curarent indiscriminatim. Ut fabulosus Tantalus,
 Sic ad deos te vis levarier; cave istuc audeas.
 Non es deus, non infinita tuast potentia,
 Quodsi cupis omnibus laborare, nemini proderis.
 Ibi labora sis, ubi deorum numen expetit;
 Hoc adeo manufestumst, quod tu possis intellegere.
 Per mutuam necessitatem ac mutuom subsidium
 Consertumst illud firmum vinculum, quo di caelites
 Immortales mortalis coniunixerunt homines.
 Nemo hercle hoc impune solvet dulce vinculum,
 In quo primum se noscere hominem coepit. Ac primum omnium
 Laetus ac repletus dolore in vitam prodiit,
 Ubi puellus ipse amavit et simul amatus est.

(Ad proximum numerum.)

ALMA ROMA

Per.
Lat
011

C. DEL VECCHIO.



QVIDQVID NON
POSSIDET ARMIS
RELLIGIONE
TENET

Pauca exemplaria supersunt

JOSEPHI FORNARI operis, cui titulus:

COMMUNIA VITAE

Phrases et formulae ad latina colloquia instituenda.

>Editio altera locupletior.

Venit libell. italic. 8; quibus addenda erunt libell. 0,50 in Italia; libell. 1 apud exteris nationes, pro transmissionis expensis.

Praeterea

Apud Commentarii Administratorem venumdantur eiusdem auctoris Mileiae fabulae latine scriptae scenisque accommodatae apud ephebea facile agendis:

FRIDIANUS-FRANCISCULI PRANDIUM

Singulae pretio italic. libell. 2.

(*Iis vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus.*)

Pro lectoribus novisque sociis, qui **integram ALMAE ROMAE collectionem** habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum MCMXXXVI, paucorum exemplarium quae supersunt pretium constituimus libellorum 550 pro Italia; pretium duplicatum, libell. italic. scilicet 1100, pro exteris gentibus.

Hae vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam syngrapham in Urbe exigendam, *recto tramite* requirendae sunt ab **ALMAE ROMAE** administratore (*Roma, 12, Via del Governo Vecchio, 96*): quod enim pretium positum est, non sinit ut foenus aliquod bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.

Ann. XXIV

Romae, Mense Iunio MCMXXXVII

Fasc. VI



ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Premium subnotationis an. MCMXXXVI est pro Italia libell. 15; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 30 exaequias; ante solvendum rectoque tramite mittendum sive ad JOSEPHUM FORNARI doctorem *Romam, Via del Governo Vecchio, 96* sive ad *Typographiam Polyglottam Vaticanam, Città del Vaticano*.

DE TELEGRAPHO APUD VETERES GRAECOS

Nihil sane mirandum puto, si de telegrapho apud veteres Graecos loquimur; ea enim signa exprimere volumus, quibus res e longinquu significabantur.

Iam inde igitur ab antiquissimis temporibus Graeci, ut quam citissime res e longinquu significanterent, faces vel ignes (qui graeco nomine πυρσοί, φρυκτοί appellantur) adhibuere, sed in re tantum bellica aut ad periculum imminens indicandum, aut ad auxilium petendum. Homerus enim similitudinem comparans (*Il., XVII, 211*) insulam describit obsidione clausam, cuius incolae noctu faces continuo incendunt, ut finitimi videant, si forte opem ferre velint. Ex eius verbis hoc tantum appareat, ignes non certas et ante statutas res exprimere (quod maximum est iis, qui e longinquu inter se communicare volunt), sed tantum periculum aliquod. Verum in cycli epicis, qui dicitur, poematisbus aliquid certi et antea statuti fuisse suspicari licet; unde Vergilius ignem illum fortasse sumpsit, quo accenso Sinon sensit equum sibi aperendum esse, ut inclusi milites exirent ad delendam urbem. Itemque Agamemnon antea

cum uxore convenerat se ignibus eam certiore facturum de Troia capta. In principio enim Aeschyli *Agamemnonis fabulae* accensi ignes Troiam eadem nocte captam esse significant; Clytemnestra autem (*Agam., 293 sqq., Weckl.*) chorum docet ignem profectum esse ex Ida monte in Hermaeum Lemni collem: illinc ad Athos montem pervenisse: indeque ad Pelium et per interiectas speculas, montibus impositas, haud degenerem ab igne Idaeo in Atridrum domum intrasse. Quidquid est, hoc inferendum esse videtur ex Aeschyli verbis, eius temporibus res ignibus significari non solum inter loca ex adverso posita, sed etiam inter ea, quae longe inter se distant, mediis adhibitis speculis. Quae quidem res posterioribus temporibus haud dubie in communi Graecorum bellico usu fuit; nam Polybius, ignium utilitatem ad signa danda in bellicis rebus prosequutus (X, 43), « Ea quae modo facta sunt », inquit, « vel quae nunc fiunt etiam is cognoscere poterit, qui trium quatuorve aut plurium dierum iter abfuerit ». Ceterum etiam Mardonius (*Herod., IX, 3*) putabat regi Sardibus versanti ignium ope per insulas accessorum posse significare se Athenas tenere.

Verum pulcherrimis Graeciae temporibus — (ut omittam quae idem Herodotus

narrat [VII, 182], « Graecos, Xerse in Graeciam adventante, ad Artemisium castra habentes per ignes e Sciathio editos tres e suis navibus a Persis captas esse cognovisse: quare territos ab Artemisio ad Chalcidem cum classe se recepisse Euripum custodituros ») — ignes generatim adhibiti esse videntur, ut « hostes » vel « periculum adesse » indicarent. Athenienses enim ignibus certiores facti sunt (Thucid., II, 94) Salamina ex improviso captam esse a Lacedaemoniis; Thebani (III, 22) Plateenses ex urbe nocturnos exiisse per ignes admoniti sunt; contra Plateenses, qui in urbe erant, et ipsi ex moenibus multas faces sustulere ad hoc ipsum antea praeparatas, ut ignium signa hostibus essent incerta, utque hi suspicati aliud esse quam quod res esset, opem minime ferrent; Atheniensens denique (ne plura afferam), qui apud Sextum erant, ex multis ignibus in hostium agro accensis intellexere Peloponnesios in Hellespontum esse ingressos. Haec signa appellabantur « ignes hostiles » (*πυρσοὶ πολέμου*) erantque dissimilia eorum, quae copias amicas vel foederatas adventare nuntiabant (*πυρσοὶ φίλιοι*).

Ceterum hoc simplex dandi signi per faces genus prope inutile erat. Nam pauca tantum eademque antea definita significari poterant; innumerabiles contra res esse quae bello accidere ex improviso soleant, neque eas quemquam antea animo praecipere posse nemo ignorat.

Huic incommodo prospexit Aeneas quidam, aequalis Xenophonti, qui *de re strategica* commentarios conscripsit. Huius operis extant tantum quae de obsidionibus sunt; quae vero ad signa per ignes danda pertinent Polybius servavit (X, 44). Aeneae igitur inventum hoc erat: « Duo vasa fictilia paranda esse quam maxime aequalia altitudine trium cubitorum (m. 1,28), latitudine unius (m. 0,46); eademque ita perforanda, ut ex canaliculis (*αὐλόσκοι*) aequali mensura, eodem temporis inter-

vallo, aqua effueret. His ita comparatis, subera paranda esse minus lata quam essent vasorum ora, et in iis mediis baculos aequales esse infigendos, in quibus notata essent paria intervalla trium digitorum. In singulis autem baculorum partibus scribenda esse notissima quaeque eorum, quae bello accidere solerent, essentque maxime universalia; ut: *Regionem equites ingrediuntur; Pedites gravis armatura; Pedites cum equitibus; Naves*, et quae essent eiusdem generis. Deinde repletis aqua vasis, subera esse imponenda baculos infixos habentia.

« His ita comparatis atque delatis vasis ad ea loca, ex quibus signa per faces danda essent, si quid eorum, quae in baculo essent scripta, accidisset, qui signa dare vellet, facem tollere debere et tantisper expectare, dum alter speculator ex adverso facem sustulisset. Tum utraque face depresso, canaliculos utraque ex parte esse solvendos. Descendente igitur subere una cum baculo, cum ea scriptura, quae esset declaranda ad labra vasis accessisset, tunc facem iterum in altum tollendam. Qua conspecta, illi qui in altera esset specula, canaliculum protinus claudendum et inspicendum quidnam eorum, quae baculo inscripta essent, vasis labro responderet. Quum omnia utrobique paria et similia essent, utriusque speculatori eandem rem declaratum iri, dummodo magna diligentia adhibita esset eademque celeritas ».

Haec ratio quamquam erat praestantior communi genere, de quo supra dictum est, tamen incerta erat atque indefinita (*ἀόριστον*). Manifestum enim est neque omnes casus bello impendentes praevideri posse; neque, si cuncta prospexisses, baculo *omnia* inscribi posse. Quin etiam ne eorum quidem, quae baculo inscripta erant, quidquam satis definitum erat. Bello enim non solum plurimum interest scire hostes adventare, sed etiam *quot sint, unde veniant, in quam partem contendant*. Ceterum Ae-

neae inventum nunquam adhibitum esse videtur.

Sed aliud erat inventum, quod elementis litterarum continebatur, quodque a Cleoxeno et a Democrito excogitatum Polybius ipse emendavit atque perfecit, nobisque tradidit (X, 45). Erat autem huiusmodi: Eos, qui per faces sibi invicem dare signa vellent, *quinq̄ue* tabellas habere oportebat. In unaquaque autem tabella ordinatim scripta erant quina litterarum graecarum elementa; ultimae tabellae una deerat littera; quod ad rem nullius erat momenti.

I.	II.	III.
A·B·Γ·Δ·Ε	Z·H·Θ·I·K	Λ·Μ·Ν·Ξ·Ο
IV.	V.	
P·Ρ·Σ·Τ·Υ	Φ·Χ·Ψ·Ω	

Uterque autem speculator *dīoptram*, quae dicitur, duabus fistulis instructam, habebat; quarum altera dextram partem, altera sinistram eius, qui ignibus esset responsurus, spectabat. Iuxta vero *dīoptram* tabellae rectae ordinatim adfigebantur. Praeterea sinister eius locus et dexter vallo obstruebatur decem pedes lato (m. 3,08), alto ad humanae statura modum, ut faces supra vallum elatae optime conspicerentur, demissae occulerentur. His ita utrobique comparatis, quae ignibus significanda essent, quam paucissimis verbis scribi necesse erat. Tum qui datus erat signum, sublatis duabus facibus, tantisper expectabat donec alter ex adverso suas tolleret. Hoc significabat utrumque ad rem paratum esse. Tum demissis utrinque facibus, primus speculator faces a sinistris in altum tollebat, ut declararet quaenam tabella esset adspicienda; quare si prima, unam faciem elevabat, duas si secunda, et ita de ceteris. Deinde a dextris faces elevabat declaratus quota littera e tabella esset scribenda ei qui datum signum excepiebat. Itaque, ut exemplum proferamus, sic ver-

bum *ἐχθροί* (hostes) ignibus significabatur: Littera Ε est quinta in prima tabella; quare a dextris quinque faces erant elevandae, una a sinistris; littera autem Χ est secunda in quinta tabella; quare a dextris duo, a sinistris quinque. Eademque ratio in reliquis litteris erat, ut ex figura, quam subiiciimus, facile intellegi potest.

Hoc inventi genus, quo omnia, quae bello accidissent, certo et definito modo indicari poterant, haud facile erat; nam qui negotium erant administraturi, eos quam maxime exercitatos esse oportebat, ut, data occasione, signa sibi invicem dareullo sine errore possent. At Polybius affirmit homines illi arti usu adsuetos posse inter se facilime, quae vellent communicare.

Verbum	Faces tabellas indicantes	Faces litteras indicantes
ε	/	
χ		//
θ	//	///
ρ		//
ο	///	
ι	//	

Quae quidem ars non amplius crevit; quin etiam posterioribus temporibus omnino iacuisse probabile est; nam nullam eius memoriam apud scriptores invenimus.

Haec tantum de telegrapho apud veteres Graecos accepimus.

D. T.

PHILOLOGICAE NOTAE

Fortunae ludibrium an voluntaria imitatio?

Anno 1854 director gymnasii Onoldini in Germania grande edidit opus versuum Latinorum, cui titulus *Varia variorum carmina Latiniis modis aptata*. Volumen præter aliquot alia poëmata continet plus quam quadraginta poëtarum Germanicorum versus Latine plerumque metris antiquis, interdum rhythmis homoeoteleutis scite ac

solerter redditos. In horum numero est notissimum carmen epicolyricum Ludovici Uhlandi, quod inscribitur *Des Sängers Fluch* (Vatis dirae preces). Eius versus 7 et 8 «*Und was er sinnt, ist Schrecken, und was er blickt, ist Wut, und was er spricht, ist Geizel, und was er schreibt, ist Blut*» haud ita facile converti possunt. Prosaisce forsitan dixeris: «*Quidquid cogitat, terrorem portendit, quocumque prospicit, rabiem prae se fert, quodcumque loquitur, quasi flagellis secat, quodcumque scribit, sanguinem anhelat*». Interpres, de quo agimus, sensum liberius conclusit disticho:

Sive quid eloquitur seu cogitat aut gerit ille,
praecedunt Furiae subsequiturque Metus.

Haec autem verba ultro in memoriam revocant carmen: *Ad Lucretiam Borgiam*, quod post renatas litteras elegantissimis versibus composuit Petrus Bembo, natione Italus (1470-1547). Versus 37 et 38 complectuntur distichon:

*Quidquid agis, quidquid loqueris, delectat et
[omnes] praecedunt Charites subsequiturque Decor.*¹

Oritur quaestio: Insignis ista utriusque loci similitudo debetne originem mero fortunae ludibrio an poeta Germanicus Italici vatis dudum defuncti exemplar volens ac sciens imitatus est? Meā quidem sententiā mirus ille locorum consensus maior est, quam qui soli fortunae imputetur. Accedit, quod verba interpretis Latini longe recedunt a textu Germanico, quo facilius accommodari possint dictioni poëtae Italici. Itaque Stadelmannum versus Bembinos ob oculos habuisse et volentem ac scientem imitatione expressisse summo iure mihi concicere videor.

FR. PALATA (Moravus).

¹ Cf. UGO ENRICO PAOLI, *Prose e poesie latine di scrittori italiani*, Firenze, 1930, pp. 192.

DE LATINI SERMONIS NOTIS SINGULARIBUS¹

d) Latine non raro usurpatur propositio relativa pro finali, interrogativa pro relativa.

EXEMPLA: Ad Sicambros Caesar nuntios misit *qui* (= ut) postularent, eos qui sibi Galliaeque bellum intulissent, uti sibi dederent (CAES., *Bel. gal.*, IV, 16) — Messanam sibi Verres urbem delegerat, *quam* (= ut eam) haberet adiutricem sclerum, furorum receptricem, flagitiorum omnium sociam (CIC., *Verr.*, V, 62) — Sexto decimo anno post reges exactos, populus Romanus sibi tribunos plebis, quasi proprios iudices et defensores creavit, *per quos* (= ut per eos) contra senatum et consules tutus esse posset (EUTR., I, 13) — Quaesita virtus est, non *quae* (= ut) relinqueret naturam, sed *quae* (= ut) tueretur (CIC., *Fin.*, 4, 15) — Verba reperta sunt, non *quae* (= ut) impedirent, sed *quae* (= ut) indicarent voluntatem (CIC., *Caecin.*, 18) — *Quid sit* (= quod est) fortis et sapienti homine dignum; *quid* (= quod) gravitas, *quid* (= quod) altitudo animi, *quid* (= quod) acta tua vita, *quid* (= quod) studia, *quid* (= quod) artes quibus a pueritia floristi, a te *flagitent* (= flagitant) tu videbis (CIC., *Fam.*, IV, 13) — *Quid* (= quod) proxima, *quid* (= quod) superiori nocte *egeris* (= egisti), *quid* (= quod) consilii *ceperis* (= cepisti), quem nostrum ignorare arbitraris? (CIC., *Cat.*, I) — *Quid* (= quod) facere *possis* (= potes) considera (CIC.) — *Quid* (= quod) *debeat* (= decet) vos non *quantum* (= quod) *liceat* (= licet) vobis spectare debetis (CIC.) — Clamor inde concursusque populi, mirantium *quid* (= quod) rei *esset* (= erat) (TIT. LIV.) — Dies deficiat, si velim enu-

¹ Cfr. fasc. sup. mens. aprilis.

merare *quibus bonis male evenerit* (= bonos quibus evenit), *quibus improbis* (= improbos quibus) optime (CIC.) — Non tu is es qui *quid sis* (= quod es) nescias (CIC.) — Proscriptit in sua lege vectigalia, *quae* (= ut ea) decemviri vendant (CIC., *Agr.*, I, 1).

e) Latine non raro usurpatur propositio adiuncta aut relativa pro participiali.

EXEMPLA: *Quod quum facies* (= hoc faciens), communi commodo inservieris (CIC.) — Rex, *postquam* bello Datamem opprimi non posse *animadvertis* (= animadvertis), insidiis interficere studuit (CORN. NEP.) — Inimici vero, *quia noceri* non posse *intellegebant* (= intelligentes), quiescendum in praesenti decreverunt (CORN. NEP.) — Cato mirabatur quod non rideret haruspex, haruspicem *quum vidisset* (= videns) (CIC.) — Genus est quoddam hominum, *quod Ilotae vocatur* (= vocatum) (CORN. NEP.) — Naves captivisque, *quae* ad Chium *capta essent*, restitui postulabat (TIT. LIV.) — Timotheum, claram hominem Athenis et principem civitatis, ferunt *quum coenavisset* apud Platonem, eoque convivio admodum *delectatus esset*, *vidissetque* eum postridie, dixisse: «*Vestrae quidem coenae non solum in praesentia, sed etiam postero die iucundae sunt*» (CIC., *Tusc.*, V, 35) — *Quum*, rogatu fratrum tuorum, *venisset* mane ad Caesarem atque omnem adeundi et conveniendi illius indignitatem et molestiam *per tulisset*, ex oratione Caesaris, ex oculis et vultu, hanc in opinionem discessi, ut mihi, tua salus dubia non esset (CIC., *Fam.*, VI, 24) — Ptolemaeus, *quum regnum totius Macedoniae occupasset*, pacem cum Antiocho facit (IUST., XXIV, 1) — Claudio, bello primo punico, *quum praelium navale committere vellet*, auspiciaque more maiorum *petisset*, et pullarius non exire cavea pullos *nuntiasset*, abiici eos in mare iussit dicens: «*Quia esse nolunt, bibant!*» (VAL. MAX., I,

4, 3) — De re familiari commodissime Xenophon Socratus scripsit in eo libro *qui inscribitur Oeconomicus* — Et res publica *quae* bene *administratur* — Vereor ne, *dum minuere velim* (= volens), labore augeam (CIC.) — Multorum vita *quae* (= quod) *dicitur* (= sic dicta), mors est.

f) Subauditio participio verbi *sum*, participii locum saepe supplent nomina, tum substantiva, tum adiectiva in ablativo.

EXEMPLA: Propter magnitudinem rerum multa multi, *imprudente Sulla*, commiserunt (CIC.) — *Sereno quoque caelo*, aliquando tonat (SEN.) — Porsena discedens ab Ianiculo castra opulenta Romanis dono dedit, *inopi tum urbe ab longinqua obsidione* (TIT. LIV.) — *Quieta Gallia*, Caesar in Italiam proficiscitur (CAES.) — Antonius, *Caesare ignaro*, magister equitum constitutus est (CIC.) — Tristem Scipionis Africani nepotes, *viva adhuc matre Cornelii Africani filia*, vitae habuere exitum (VELL. PAT.) — Quod *Deo teste* promiseris, id tenendum est (CIC.) — Tu nihil *invita* dices faciesve *Minerva* (HOR.) — Omnes istos, *me auctore*, deridete atque contemnите (CIC.) — Summa erat, *vasto atque aperto mari*, *magnis aestibus*, *raris ac prope nullis portibus*, difficultas navigandi (CAES.) — Turpis est qui, *alto sole*, semisomnis iacet (SEN.) — Eripit tibi ista *arma* populus Romanus, utinam *salvis nobis!* (CIC.) — *Te incolumi*, liberi mei orbi non erunt (CIC.) — Pater meus Hamilcar, *puerulo me*, utpote non amplius novem annos nato, in Hispaniam imperator profectus est (CORN. NEP.) — Cn. Pompeius, *me praesente*, cum P. Vettio, duce Marsorum, inter bina castra collocutus est (CIC.) — Mithridates, non vi hostili victus, sed voluntaria morte in avito regno senex *herede filio* decessit (IUST.) — Naves apud insulas longius sitas electae; milesque, *nullo illic hominum cultu*, fame absemptus (TAC.) — Emerge ad meliorem

vitam, *propitio Deo* (SEN., *Ep.*, 22) — Apud Graecos investigavit eclipses primus omnium Thales, praedicto solis defectu qui, *Alyatte rege*, factus est (PLIN., II, 9) — Caesar Galliam tentari, se absente, nolebat (CAES., *Bel. gal.*, I, 29) — Nicias a Dolabella magnopere arcessitus, etsi *in vito me*, tamen *eodem me auctore profectus* est (CIC.) — *Natura duce errari nullo modo potest* (CIC.) — *Nihil de hac re agi potest salvis legibus* (CIC.).

g) Participium coniunctum saepe locum tenet propositionis relativae.

EXEMPLA: Caesar suis cedentibus auxilio succurrit (CAES.) — Alexandro caelestes honores concupiscenti non deerat perniciosa adulatio (Q. C.) — Ne munus assignatum a Deo defugeritis (CIC.) — Ignem Aesopus quaerens, aliquot lustravit domos (PHAEADR., III, 19) — Quod si istum, iudices, vestris sententiis liberaveritis, statim, sicut e cavea leo missus aut aliqua tetrica bellua soluta ex catenis, volitabit et vagabitur in foro (CIC., *Herrn.*, 4, 39) — Simulans amicum inimicus inimicissimus (SYR.) — Hanc occasionem oblatam tenete, per deos immortales, patres conscripti! (CIC.) — Non quaere aeger medicum eloquentem, sed sanantem (SEN.) — Vox domini fuit instantis virgamque tenentis (IUV.) — Naviculam deligatam ad ripam nactus, ea profugit (CAES.) — Demosthenes susurro delectari se dicebat aquam ferentis mulierculae, insurrantis alteri: «Hic est ille Demosthenes!» (CIC.) — *Fugientes Gallos Macedones adepti ceciderunt* (TIT. LIV.) — Cur turbulentam fecisti mihi aquam bibenti? (PHAEADR.) — Tertium iam annum Tasgetium regnantem inimici palam interfecerunt (CAES.) — Quadriremem fluctuantem (= quae fluctuabat) in salo reliquerat (CIC., *Suppl.* XXXV, 91) — Morti iam adventanti paulum procedere obviam praestat quam contaminare extremum tempus aetatis — Archimedis Cicero quaestor

ignoratum ab Syracusanis, septum undique et *vestitum* veribus et dumetis indagavit sepulcrum — Neglectis urenda filix innascitur agris — Temeritas est *florentis* aetatis, prudentia *senescentis* — Nullum vitium taetius est avaritia, praesertim in principibus rempublicam *gubernantibus* — Lysander magnam suū reliquit famam, magis felicitate quam virtute partam.

S. Leonardi in *Helvetia*.

I. Jss.

DE FONTIBUS IURIS ITALICI LINEAMENTA HISTORICA

AETAS NOVA.¹

Quos in superiore numero recensuimus, plus minusve scholae cultae adhaeserunt. fuit autem et turba pipionum fere innumerabilis, iam a saec. XVI, tum in Italia cum extra, qui, potissimum quaestus causa, ius implicarent cavillationibus, dissolverent consiliis saepe invicem contradictibus, perfringerent ac paene diluerent casibus et responsis empiricis: hos cordatores carpabant nulla usura. Carpsit quam maxime Ludovicus Antonius Muratori (MDCLXXXII-MDCCL), Mutinensis, Qui licet non expresse iuri operam dedisset, eidem tamen efficacissime auxiliatus est, tum quia historiam, qua ius ipsum enutritur, ea excolluit alacritate, diligentia, ratione ac via, qua nemo aliis antea, tum etiam quia et acute disseruit de renovanda iurisprudentia, suasitque duci Mutinensi ut novum codicem concinnaret atque promulgaret.

Eodem ferme tempore, sed ex alio latere, nempe philosophico, renovando iuri aciem singularis ingenii contulit Ioannes Baptista Vico (MDCLXVIII-MDCCXXXIV), Neapolitanus, qui iura privatim docuit Della Costa marchiones, Ischiani episcopi

¹ Cfr. fasc. sup.

nepotes, tum publice rhetoramicam professus est in archigymnasio neapolitano, schola iuris ibi ea denegata! In celeberrimo eius opere italice exarato, cui titulus: *Principii di una scienza nuova intorno alla natura delle nazioni* acutissime in magna rerum humanarum vicissitudine principium vel principia quaerit unitatis, et quasi legem qua eadem reguntur. Quae lex non plane necessaria est atque «deterministica», sed e natura hominis liberi repetitur; neque negat, immo vero praedicat Mentem Dei providentissimam; quamobrem eum calumniantur et ignarum vulgus decipiunt «idealistae» novissimi, omnia ad coenum suum detorquentes. In opere: «De universi iuris uno principio et fine uno» haec notat:² «Iurisprudentia omnis ratione et auctoritate nixa est, atque ex his condita iure factis accommodare profitetur: ratio naturae necessitate, auctoritas voluntate constat: philosophia necessarias rerum causas vestigat: historia voluntatis est testis; itaque iurisprudentia universa coalescit ex partibus tribus, philosophia, historia et quadam propria arte iuris ad facta accommodandi»; principium autem et finem non esse nisi unum Deum; res «omnes ad Deum provenire, ad Deum redire omnes, in Deo omnes constare». ³ Neque ignoranda disputatio «De nostri temporis studiorum ratione». Plurimum disceptatum est de I. B. Vico; at quae forte obscuriora videntur aut minus recte dicta, facile ad sensum genuinum ac rectum intelligi possunt et intelligenda sunt, quoisque contrarium non probetur.

Eamdem praeclaram operam renovandis iuribus navaverunt Caesar Beccaria, Mediolanensis (MDCCXXXVII-MDCCXCIV), in pervulgatissimo opusculo de delictis et poenis, ubi mordicus adversatur poenae inhumanis, et maxime capitatis; Caetanus Filangieri, Neapolitanus (MDCCCLI-

² In prologo.

³ Ibid.


MDCCCLXXXVIII), qui de disciplina legislationis scribens, regibus quasi praeformat animam novarum legum, vel, melius, novorum codicum; Nicolaus Spedaliere (MDCCXXXII-MDCCXCIII), aliique.

* * *

Iam a saeculo XVII iuris romani cultus declinat in Gallia, postquam e praeudiis civilibus indulgeri coeptum est iuri particulari, recedere autem iuri communis, et, derelicta lingua latina, adhiberi galli cam. Nova sic via patefieri videtur aetati novissimae, antequam aetas media consummata plane sit; cuius novae viae praeditores veluti sunt Domatius et Pothierius. Ille (Domat, MDCXXV-MDCXCVI) e fontibus tum romanis cum loci elementis derivatis, gallice scripsit de legibus civilibus in ordine naturali, et veluti novum systema expressit, accedens quam maxime scholae iuris naturalis, novum, inquam, circa rationem rerum ordinandarum atque expounderiarum; nam quod ad doctrinam attinet, nomine magis quam re distat a iure communi. Hic autem (Pothier, MDCXCIX-MDCCCLXXXII) cordatior equidem, studiosissime incubuit iuri civili romano, scholam sequutus Cuiacianam, a qua eo tantum recessit, quod usui vitae proprius accedendum duxerit; idcirco edidit opus, cui titulus: *Pandectae Iustinianae in novum ordinem redactae*, et simul studia complura, imprimis de obligationibus, quibus ius pandectarum ad novissima tempora aptat. Exprimit ita necessitatem illam ac desiderium novorum codicum redigendorum; neque est qui ignorat quantopere ille opitulatus sit Napoleonicis.

His merito addendi sunt Carolus Augustus Pellat (MDCCXCIII-MDCCCLXXI); Aloisius Bernardus Bonjean (MDCCCV-MDCCCLXXI); Eleazarus Ortolanus (MDCCCII-MDCCCLXXIII); Paulus Gide (MDCCXXXII-MDCCCLXXX); qui omnes ad novissimam aetatem accensendi sunt.

SYLVIUS ROMANI.



DE BASILICA "S. MARIAE ANTIQUAE", AD RADICES PALATII

Felix illa immutatio, qua paullatim orbis Romanus, idolorum servituti addictus, in ditionem Crucis redactus est, multos Graecorum Romanorumque mores christiana nova doctrina induit, multaque, etsi intacta viderentur servari, novo afflante spiritu innovata intimius nepotibus tradidit. Qua de causa aedificia quoque non pauca diis fallacibus sacrata, vel ubi tot per saecula effraena maiorum licentia debacchata fuerat, in cultum Dei veri transierunt, amissisque perditae religionis pompis, novos ritus suavissimos celebrari, nova thura suos intra parietes comburi conspexere.

Hac mente profecto aula aedis imperatoriae in Palatini collis radicibus, prope forum, delecta videtur ubi Sanctae Mariae templum surgeret, quod deinceps, aetate recentiore, a Sancta Maria Antiqua dictum est. Illic Vestae atque Iuturnae numinibus Virgo Deipara illibata in aris sufficitur: fabulosa illa, quae mediae aetatis ferrei scriptores referunt de Silvestro Pontifice draconem ibi necante, ignem Vestae sacrum serpentemque cultui eius proprium manifeste satis revocant. Inde locus « infernus » dictus, temploque nomen datum Sanctae Mariae *de Inferno*; quodquum videretur deinceps parum conveniens dulcissimae Virgini, immutatum est in Sanctae Mariae Liberatricis (*a poenis inferni*).¹

Hülsen doctor² locum templi bibliothecam aedis Augusto Octaviano sacrae esse dixit, cuius ad latus aulae templum ferme ipsum patebat. Narthecis, atriique, vel

¹ Cfr. *Mirabilia Urbis Romae*; et etiam DE ROSSI, *Bulletino di Archeologia Cristiana*, an. MDCCCLXXXV, pag. 143.

² Cfr. *Mittheilungen des Archeol. Instit.*, anno MDCCCI, n. 1.

ipsius basilicae formam, parietalesque picturas alias satis enarrata heic non numeramus. Eminet arcus sive porta, unde e vestibulo domi Caii Caesaris Caligulae aditus in basilicam erat, primumque in atrium, quo in medio impluvii os quadratum hiat adhuc. Parietes atrii pictas undique historias referunt, quas tamen tempus adeo corruptit, ut vix aliquot vultus intueri hodie licet. Contra portam muri reliquiae supersunt, quae atrium a narthecе basilicae dividunt. Per narthecem templum ingredimur, tribus distinctum navibus, quas columnae, eaeque lectissimae, distinguunt. Parietes templi absidisque omnino picturis et ipsae decoratae apparent, gesta multa tum veteris tum novi testamenti effigientes: maxime autem insignes quae in abside atque in pariete ei superposito conspicuntur. Iesus in abside est, Evangelii librum sustinens, cuius ad latus hinc et inde variae Pontificum eminent effigies, sed Pauli I atque Martini I nomina una supersunt. Altius vero in pariete Christus dominatur orbem, Cruci affixus, angelis circumdatus; eius ad pedes mulierum virorumque turbae genibus flexis consistunt, iuxta prophetiam: « Ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum ».³ Virginis imago, in dextero pariete repraesentatur, — at dedicatoria inscriptio in utroque absidis latere divisa est, cuius haec manent verba: SANCTAE DEI GENITRICIS SEMPERQUE VIRGINI MARIAE, — quae forte saeculo VIII oriente depicta est, quem Ioannes Pontifex VII templi dedicationem celebravit. Et profecto, in Einsiedensi itinerario, quod est sub eiusdem exitu redactum, basilica Sanctae Mariae Antiquae prope forum inscribitur. Atqui templi titulum certo certius evincit inscriptio in adiacenti oratorio inventa, de Theodoto illo, « primo dispensatorum, qui oratorium ipsum dicavit SANCTAE DEI GENITRICIS VIRG. MARIAE QUAЕ

³ IOAN., XII, 32.

APPELLATUR ANTIQUA, cuius effigies representatur offerentis oratori exemplar Deiparae. Ei accedit altera inscriptio, quae nomen exhibet Ioannis Pontificis, quem tradit *Liber Pontificalis* decorasse basilicam « Sanctae Dei Genitricis quae Antiqua vocatur ».⁴

In ipso oratorio parietales picturae exhibent Sanctam Iulitham coram iudice, Sanctum Cyrum in vinculis degentem, fustigationem eiusdem, Sancto Cyro linguam recisam, Sanctos Cyrum et Iulitham in compedibus, aliaque utriusque Christianae fidei confessoris tormenta eorumque mortem. In sacello vero, seu oratorio, quod opponitur, simile picturae effingunt beatos Cosmam, Damianum, Stephanum et Abbacyrum. Huic loco proximam invenerunt christianam inscriptionem anno DCCII sculptam, unde eruit iamdiu coepisse condi ibi cadavera.

Quod si quis hisce fultus argumentis quo tempore aula imperialis sedes in templum christianum commutata sit requirat, rem evenisse putem quarto saeculo occidente, quo tempore tandem Theodosius imperator idolorum cultum sustulit. Non enim alias fieri potuit locum Castoris et Pollucis et Vestae et Iuturnae aedibus tam proximum, ipsa in imperiali domo, in templum esse immutatum. Primum inde templum hoc censemum Deiparae in urbe sacramum; Liberiana enim Basilica saeculo V a Liborio Pontifice erecta est.

Post Ioannem VII, novi Pontifices Zacharias, Paulus I, Adrianus I pluries templum refecere; serius vero Leo IV, ratus forte, ex delabentibus iam undique aedium imperialium ruinis, multa detrimenta subiecto templo imminere, novam erexit in foro ecclesiam, Sanctae Franciae Romanae nunc dicatam, quae Sancta Maria Nova nuncupata est, quo « diaconatus » titulum transtulit. Vetus ecclesia, ruinis paullatim

⁴ Cfr. *Lib. Pont.* (edit. Duchesne), I, 385.

diruta, ad saeculum tamen x usque patuit; quum, post Normannorum incursionem, conditum super novum templum fuit, cui titulus Sanctae Mariae Liberatricis, ob veteris memoriam aetatis mansit. Templum vero et hoc, ob effossiones illic peragendas, solo aequatum est, et maiore forma hinc procul renovatum, in nova urbis regione, quae a cumulo testarum fragmentorum illuc e proximis officinis projectorum, Testacei montis nomen accepit et adhuc retinet.

ROMANUS.

VISIONES RURALES

VER

Hactenus hybernis nivibus viduata geluque,
et prata et nemora, et montis iuga celsa mane-
[bant,
exuviasque suas terrae concesserat arbor,
ad caelum, ut plorans, protendens brachia adu-
[sta;
ast omnis nunc floret ager, nunc germinat ar-
[bor,
et viridanti iterum vestit ramalia fronde.
Nunc quoque vernal humus, redeunt annique
[teporis.
solvitur et putris zephiro nunc gleba tepente;
nunc collesque virent, gremio nunc terra so-
[luto,
pallentes offert violas, gratosque amaranthos.
Omnia luxuriant, resonant iam cantibus agri
alituum hominumque, errant per pabula laeta
immemores hyemis luduntque armenta per
[herbas:
lascivique agni et male firmis artibus hoedi
exsultim matres per florida prata sequuntur,
atque petunt rauca balantes ubera voce.
Purior en sol nunc splendens floresque colo-
[rans,
incipit exortus totum diffundere mundum
laetitia et caelum pulchro instaurare sereno.
Proxima ruricolae celebrantes annua festa,
ostia delubri reserant nunc veris ad auras;
sic sole effuso templum nitet irradiatum.
Limine deserto, multaque aetate vetusto,

evellunt herbas hyberno ex imbre virentes; dant flammis circum crescentes undique vepres; silvestresque novis ornant nunc floribus aras Numinis, et terrae pro fertilitate precantur. Instituunt ludos agrestes, nundina mandant, — paganos ludos, clamosa et nundina pagi — serta super ramos ponunt agrestia, itidem exornantque foras, murosque hinc inde domo- [rum, atque viam variis multisque paratis ornant, nocturnis ac taedis versicoloribus implent.

Aenea iam parva tintinnant turre sonora, contremit accenso nitrato pulvere terra, vallis et resonis longos fert echo boatus. Vicini interdum ad ruris iam sacra vocati, accurrit alacres, iuvenesque hilaresque puel- [lae, quae nuper comptis florem intexere capillis. Incipiunt ludi; pedibus certamina cursus, sive manu in fulva forti luctamina arena, seu moderamina carrucam ducentis aselli. «Hinc iuvenum quicunque manu, pedibusve; [rotave»

vincit, habet gallum, vinum, bellaria lauta: gallum, mane novo ut rauco de gutture cla- [mans,

invitet tardum, iam luce oriente, colonum surgere, et optatam campis curam dare sue- [tam;

vinum, quo nimio recreet defessa labore corpora et ardentem possit restinguere sitim; dein bellaria queis donantur munera amicis. Acclamat comites laeti plauduntque trium- [phum,

victorem et longa pompa comitantur ad aram Numinis, ut grates tanto pro munere fundat. At sol iam medio caeli declinat ab axe, et linquunt templum iuvenes, alaresque puel-

[lae, terram et ter pede avert pulsante agitare cho- [reas.

Et cum caeruleo fervescunt sidera caelo fumosae uruntur faces, et quaeque puella incedit, iuvenesque comes sua lampada gestat, alterneque canunt raucis iam vocibus; illis respondit canis incursans latratibus altis; atque domum repetunt alta iam nocte silentem, fessaque dant cuncti recreanti corpora somno. At dulces spirant zephiri, spirantibus illis prima luce redit viridiania ad arva colonus,

et fidens, alacer serotina semina mandat sulcis quos olim, cantu minuente labore, succintus, stimulansque boves infidit aratro.

Si ver imbriferum, si pulverulenta sit aestas, quod iam habuit reddet generoso foenore terra, nam solet agricolae iusta mercede laborem pensare, emeritis cumulare et praemia curis. Hic rufus et simplex, modico contentus acervo nec spes heu falsas, nec curas pascit inanes; hoc unum, iam plena ferens tunc vota, preca-

[tur ne nimio semen verno putrescat ab imbre, inviso lolioque carent, herbisque malignis, non imbre aut flabris, lapidosa aut grandine stratum, uberior crescat tumidum flavumque frumentum, nec mala crescentes rubigo exedat aristas. Decidua compescit vitem et robore fulcit, acclinat sobolem sulco, pullosque propagat; et si luxurians, non miti falce resecta, illacrimat vitis, pendebit plurima ab altis pondere sub nimio curvatis uva racemis. Si nec uredo, nec cryptogama vitibus obsit, turgentis vitis dulces et porriget uvas, sive rubescentes, nigras, sive auricolores.

Nunc desueta diu resonant carmina colles, cantusque alternos resonat nunc vallis echo. Lucentes falces claro sub sole coruscant; — agriculta in mediis foenum nunc demetit agris, — dum circum aura silet suavi composita pace, stridere auditur falx cote accuta recenti — et rastris messum spissis superaddit acervis quos posthac duro curat versare bidente. Dein ferruginea foenum cum fune coarctat malleoloque gravi pressat, rectangula format quae picta imponit plaustro, raptantque iu-

[venci, atque domum lenti referunt, iuvenesque reposantque. —

Altera pars foeni, quae nunc diffusa per agros atque soluta iacet dum arescat sole calente, est magnum, est et obesum extollere designata foenile — ingenti est innixum altoque tigillo — quod pede sit lato, sit ventre rotundo, et acuto vertice, uti pinus squamosa cortice fructus; agriculta ex illo, rigenti tempore brumae, — nam nemoris pratique herbas tunc frigus adurit — sumet praecluso armentum pasturus ovili.

At nunc vernat humus, ruri nunc omnia ri- [dent; arbor quaeque suo nunc flore ornatur et halat, agnoscitque novas, sit quamvis adultera, fron- [des.

Clarior est aer, nec caelum nubila turbant; nec foliis orni zephyris agitantur amoenis; aequora placantur nullis commota procellis, delectantque animum gemmantia floribus arva. Garrula et optati iam nuntia veris hirundo turmatim hospes grata redit; stridoribus auras laetitiaque domum replens, sub tegmine tecti notum inquirit nidum parvis quo incubet ovis, inventum et stipulis renovat, plumisque, lu-

[toque; interdum aura milat circumvolitantibus aliis. Dulce o ver! anni formosa virenque iuventa! Cara iuventa! hominum ver vitae! Optabile munus!

Romae, mense maio MCMXXXVII.

TITUS BELLATRECCIA.

EX IAPONIA

Bestiolae cantantes.

Omnibus temporibus ac locis homines suavissimo avium cantu esse delectatos accepimus; sed Iaponiae tantum incolae, qui vel minima naturae maxime diligunt, quasdam bestiolas suavi praeditas voce permagni habere atque omni prosequi sollicitudine non dedignantur. Eorum in haec parva animalia studium ex antiquissimis usque temporibus colligitur; sed centum circiter abhinc annis illa digna sunt habita, quae non levius momenti commercium constituerent. Nostra autem aetate eo perventum est, ut in triginta sex foris Tokii in urbe praestantissima harum bestiolarum habeatur mercatus: ibi enim fere nulla reperitur domus, cuius fenestrae, perystilium, pergula Maio labente, aut ineunte mense Iunio, minusculis non exornentur caveis, ex quibus musicarum, ut ita dicam, bestiolarum mirificus proficiscitur concentus, ita

ut levibus ac suavibus sibilis, sonitus tremulis, aut acutis, iisdemque liquidissimis, aer tota ferme nocte undique resonet. Quare aestivis diebus sub vesperam, quum canere incipiunt bestiolae, Tokii cives in pergulis, vel in perystiliis considunt; vel ex fenestris faciem exserunt, ut animum diurnis curis fatigatum tenui reficiant musica, quae sensu quodam campestris pacis eos afficer videatur.

Nono kalendas Iunias singulis annis, vesperae, quum Tokii cives ferias ad templum Mita numinis celebrant, bestiolarum cantantium incipit haberi mercatus. Ex ligneis casulis seu tabernis passim exstructis exsiles pendent caveolae, ubi exigui servantur cantores, qui multiplici et continuo vocum concentu adstantes alicere atque ad eos emendos invitare videntur. Innumeræ ac diversissimæ inter se caveæ, omnesque arte exquisita sunt contextæ; aliae enim domus vel templi exhibit formam, aliae currus, navis, turris, cornu, aut cuius tibi lubet rei: sunt etiam elegantiores caveæ, quibus parvus mus, vel avis, vel vesperilio ex ligno sculptus ornamento est. Harum varium est pretium pro varietate operis atque difficultatibus.

Incredibile dictu est quot quantisque curis has bestiolas mercatores prosequantur, non solum quo citius, quam natura ferat, ex ovis arte fotis in lucem prodeant, sed etiam, quum adoleverint, ut musica, si ita loqui fas est, instituantur disciplina: tibiis enim, seu fistulis ex ligno, cui nomen bambù, confectis, eas summa diligentia ad cantum excitant, quem quodam modo ducunt ac moderantur, quo liquidior atque iucundior ex tenui gutture fundatur. Ex his, quae voce, forma, et colore in innumeræ constituuntur genera, corporis magnitudine et singulari quadam virtute bestiolam nota dignam existimamus, cui nomen Kutsuva-muski, siquidem eius sonitus non ex gutture, sed ex alis inter se confricandis proficiscitur atque hinnitui

equi, ut aiunt, est fere persimilis. Cantus autem suavitate commendanda videtur quam dicunt bestiola *Kirigirisu*, locustis similis Europeanum regionum: ex his tamen perexquis cantoribus princeps iure merito *Suzu-muski* habetur, cuius nomen significat « parvum tintinnabulum », quod eius vox cum acuto eodemque liquidissimo sonitu illius aenei instrumenti plane perfecteque comparetur.

Notandum harum bestiolarum mares tantummodo vocis suavitate praeditos esse, quae coniunctione quum feminis suapte natura amittitur: itaque a feminis prohibeantur omnino necesse est, si diutius servari velint. Parvis vescuntur cucumis fragmentis, quae saepe saepius sunt instauranda, quo suaviora ipsis praebeantur.

HERS.

COLLOQUIA LATINA¹

XXXII.

Petitio lusus.

PHILIPPUS, MAGISTER,
DISCIPULORUM TURBA.

PHILIPPUS. — Memoriter memini, o Magister, dixisse te aliquando nobis necessarium esse in rebus vicissitudinem, nec durare posse quod alterna requie caret.

MAGISTER. — Quid tum postea? Quam ob causam tu id mihi nunc subiici?

PHIL. — Haud sane inconsulto ac temere tuam usurpavi sententiam.

MAG. — Ergo cur usurpas? Dic.

PHIL. — Quoniam res quaedam est, quam me a benignitate tua impetrata auferre volo.

MAG. — Memora.

PHIL. — Si moleste non es latus.

¹ Ex IACOBI PONTANI opere, cui titulus: *Progymnasmata latinitatis* passim retractavit hodiernisque moribus aptavit I. F.

MAG. — Nisi tu iniustum quid a me petas, indigne non feram quidquid petiveris. Nam ut iusta ab iniustis petere insipientia est, sic iniusta a iustis impetrari non decet.

PHIL. — Ne tibi lubeat sinistrum suspicari. Iuste ab iustis iustus sum orator datus, et advenio omnibus lubentibus, ut quod in rem nostram communem sit, hoc a tua lenitate obtineam.

MAG. — Eloquere tandem; quid est quod obtinere gestis?

PHIL. — Paullum est.

MAG. — Quin tu uno verbo dic; quid est?

PHIL. — Iam dies effluxere complures, ex quo libris semper affixi fuimus.

MAG. — Trabalibus clavis opinor. Subiecto quorsum evasurus sis. Bene habent tibi principia. Pertexe telam, sed apte, ut ne compellam te retexere.

PHIL. — Et exercitationibus auditionum, scriptiorum, recitationum, concertationum pene exhausti sumus.

MAG. — Itane vero? Exhausti? O me in discipulos atrocem, o crudelem!

PHIL. — Nec unquam nobis vel ad momentum respirare, viresque fessas reparare datum est.

MAG. — Ut res tuas exaggeras? Contratum est vetustate proverbium: *Ex musca elephantum*.

PHIL. — Qua re vehementer etiam atque etiam te rogamus, Magister optime, permeridianis horis ad lusum remissionemque animi hodie descendere tuo concessu licitum sit.

MAG. — Non iniquum postulas. Verum ego his conditionibus potestatem largior: ut absque tumultu ludatis, neve quis alteri turbas ciere insistat; ut ante horam quintam ad libros redeatis; ut deinceps manus pedibusque, cum hasta, cum scuto, quod aiunt, ad vestra studia incumbatis.

PHIL. — Iustae conditions: accipimus, ut pro tota schola respondeam.

MAG. — Capesse cursum; condiscipulos affice tam bono nuncio.

PHIL. — Gratias magnas, ingentes tibi agimus, Magister humanissime.

— Heus, heus, pueri.

DISCIPULORUM TURBA. — Num quidnam apportas novi? Frontem exporrexisti: hoc omen placet.

PHIL. — Oneratum e laetitia pectus appporto. Ego vester hodie orator et exorator fui apud Magistrum.

DISC. — In quo?

PHIL. — In ludendi venia.

DISC. — Voluptatem magnam nuncias. Habemus ergo rem factam.

PHIL. — Bene factum est, et volup' est.

DISC. — Deus te bene amet! Ludemus igitur.

PHIL. — Nisi mavultis inhaerere libris.

DISC. — Valeant libri. Ludamus, socii: euge, ludamus.

PHIL. — Silete; non permittit gratis ludere.

DISC. — Qua mercede?

PHIL. — Ut absque inconditis clamoribus, absque strepitu, crepitu, fremitu.

DISC. — Fiet.

PHIL. — Ut ante horam quintam libros recipiamus.

DISC. — Fiet.

PHIL. — Ut deinceps nervis omnibus discamus.

DISC. — Hic melius est respondere: fiat, quam: fiet; optare, quam promittere.

AD SANITATEM TUENDAM¹

DE REPLETIONE

Scinditur extumidum corpus, conviva vorator,
Desine iam in patinis cura diurna tibi est.
Crapula et ingluvies tibi mors erit, ilia, venter,
Et iecur, et renes, splenque caputque dolent.
Si vix inspiras, si te vexante podagra,
Et chiragra exclamas, culpa, miselle, tua est,

¹ Praecepta CASTORIS DURANTE, Medici, latinis versibus expressa. — Cfr. fasc. sup. mens. februarii.

Desine iam, extremo famis adversate furori:
Dedece et nocuum est cedere velle gulæ.

DE BALNEIS

Balnea, ni corpus mundum est, haud intres
[obesum,

Et tumidum fieri si tibi sorte velis.
Si modo sint munda et lympha tibi suave te-

[pentis
Utilia, in laxis noxia poplitibus.
Si gelida ingredieris, calor hinc internus abun-

[dat,
Musculus obduratur, nec tibi, nerve, nocet.
Sulphureum aut salsum si sit tibi forte, vel

[aere,
Aut cinere, aut ferro concomitante, cave.
Consule prudentem medicae prius artis alum-

[num,
Et prodesse potest, et nocuisse solet.
Si rogitas citius pinguescere late, sequatur

Balnea, sitque levis, frictio facta manu.
Sensibus illa favet, calor hinc viget omnis,

[aluntur
Effaeta hinc melius membra, caputque valet.
Quid non humanum ingenium sapit? Aegra

[moveri
Corpora cum nequeunt, frictio prompta sub-

[est.

DE FRUMENTIS

Utile far stomacho, ventrique salubre fluenti,
Estque boni succi, atque impinguat, sistit et al-

[vum,
Ventriculusque aeger facile non concoquit illud;
Attamen id capitidis poterit mulcere dolorem.

Hoc vitare senes debent, namque instat et afferit
Viscosum et crassum succum; sed ad illa vitan-

dum,
Melle hoc conditum sit succhareoque liquore.

Aegre concoquit triticum, sed calficit, atque
Obstruit offenditque caput, flatuque redundant,

Ventriculumque gravat fomentaque pura mini-

[strat.

Hordea dant nocuum panem, sine crimine suc-

[cum,
Temperat hic bilem, siccat, aliisque bene.
Sicca gelu parvi modicae sunt hordea coenae,

Febris in calidis pectoribusque favent.

Instant, occlusae vesicae claustra relaxant,

Nullus ea adstricti corporis aeger edat.

Triticeus panis lata ex regione salubris,
Nec sapiunt laetae si sine pane dapes.
Fervet et artificis cura conditus amica,
Foecundo vincet salgama quaeque cibo.
Pituitam fermenta admixtum huic mixta tenacem,
Sed faciles aditus membra ad alenda dabit.
Ars bona, si geniti sumus ut moriamur, amica
Nos tamen aeternum vivere quaeris ope.

Insuavem dat Oryza cibum, sed supprimit alvum
Crassa alimenta parit, concoquiturque male.
Cum tepeat vetrem retinens, et umygdala iungi
Lacte vel exposcat, siccata oryza magis.
Sic pulmenta feret tibi plurima; si tamen instas,
Nequitiae poterit promptior esse tuae.

ANNALES

Nova in Hibernia rei publicae disciplina.

Hiberni novam sibi constituerunt rei publicae disciplinam, per quam fides religiosae libertati additur atque ius imperii definitur civitatis principi, qui munus generalis gubernatoris ampla cum potestate obtinebit. Civitatis signum tribus coloribus est distinctum, nempe viridi, albo et luteo.

Virorum civilium conventus.

Etiam maio mense plures civilium viorum conventus habitu sunt. Germanorum ad exteriores minister Von Neurath Romam venit ad voluntatem concordem cum Italia confirmandam circa agendi rationem in quaestionibus quae communes utrique populo offerri possint; quae quidem voluntas est de pace procuranda: summa ope itaque nitendum est ut in eamdem aliae quoque nationes accendant, quo tandem Europa conditiones necessarias assequatur ad maiorem tutioremque confirmationem politicarum oeconomicarumque rerum assequendam.

Hispanicum civile bellum.

Dum « Nationalistarum », quos vulgo appellant, progressus, lente quamvis, sed quotidie flunt (nunc in Cantabria dimicant) scinditur Communistarum Valentina publica factio, anarchistarum praesertim opera, qui imperii summam sibi volunt.

Augetur itaque in dies miseranda, et ipsorum qui heri socii erant, caedes, rerumque omnium direptio; eoque ventum est ut ne pars quidem sit exterarum nationum navibus neutri parti faventibus, et ad inspectionem missis. Re quidem vera Italica primum atque deinde Germanica igneis globis ab aeroplanis projectis impetratae sunt, ita ut utraque natio a Londensi societate ad vitandam exterorum ciuium apud bellantes intercessione constituta recesserit, declarans se munus haud resumpturam donec promissum atque receptum de incolumitate non fuerit, aut clariationis ius recognitum.

Profecto omnia Russi illi experiuntur, ut deprecandum per Europam omnem incendium tandem excitetur!

Russicae atrocitates.

Terror interim Russicam civitatem omnem occupat. Saeva illa Stalini dominatio sanguine abhorre non cessat.

Post Lenini fidos et assecelas omnes interemptos, nunc in exercitus celsiores duces furit, quos prodigionis occultaeque explorationis specie, sine publico iudicio,

Italiae autem rex atque imperator una cum uxore et Maria filia Budapestinum pettit ut Hungaricae civitatis Praesidem reviseret; dumque invicem clarissimi viri veteri inter duos populos amicitiae propinat, eorum administri pactiones iampridem initas solidiores reddunt.

immo sine ulla iuris debita cautione, capitatis damnat, quando vix in carcere detrusos per satellites suos morti non tradiderit...

Varia.

In Anglia Georgio VI regi sollemniter tradita est regia potestas.

In Albania, Argirocastri in urbe, sedatio frustra incopta: domita enim a militibus statim est.

Die I mens. maii Pius PP. XI in Castri Gandulphi suburbanum se contulit, ubi aestivos menses traducet.

POPICOLA.

VARIA

Hos esse bonos ac fidos milites, qui gloriae ac laudis comparanda studio militant.¹

Ex decemvirorum historia hoc etiam animadvertere licet, quantum intersit ad rem bene ac prospere gerendam, ut militum animi pacati sint, et parati ad dimicandum pro gloria comparanda, non autem inquieti, et pro cuiusvis ambitione pugnare coacti. Nam quum exercitus populi Romani consulum imperio ducti semper victoriam de hostibus reportare consuevissent, sub decemvirorum insignibus semper victi caesiique fuerunt. Atque hinc etiam cognoscere licet, quam parum tutum sit mercenario milite uti, quem nil aliud ad virtutem incitare potest, quam exiguum illud stipendii, quod a te sperat: id autem non tanti momenti est, ut eum tibi tam fidum efficere queat, ut mortem pro te oppetere velit. Nam in quo exercitu miles erga eum, pro quo militat, non singulari quadam be-

¹ Ex NICOLAI MACHIAVELLI opere: *De republica disputationes ex prima decade T. Livii latine vertit H. BINDI.*

nevolentia affectus est, usque adeo ut particeps esse videatur victoriae quae comparabitur; is hosti praepotenti vix unquam resistere poterit. Huiusmodi autem amor militum erga imperatorem non esse potest, nisi tunc quando subditi pro bono principe, aut legitimo magistratu, aut pro aris et focis dicant. Itaque necesse est eam Rempublicam aut principem, qui sese suaque tueri velit, suosmet subditos disciplina militari instituere, ut eorum opera tuto uti possit, quum opus fuerit; idque ab omnibus iis usurpatum esse novimus, quicumque in re bellica praecipitari quippiam praestiterunt. Inerat certe populi Romani exercitibus eadem virtus sub Decemviris, quam et olim sub Consulibus declaraverant; sed quia non ita erga Decemviros affecti erant, ut erga consules et patriam prius, idcirco non eadem virtutis specimina, ut olim edebant. Sed postquam extincta fuit decemvirorum tyrannis et patriae libertas recuperata, tunc eodem, ut prius, erga Rempublicam animo affecti, eadem iterum virtutis specimina ediderunt.

Lopores et Vulpes.

Lopores, suscepto bello adversus aquilas, auxilium Vulpium implorarunt. Quae responderunt, non se fuisse illis defuturas, nisi scirent et qui ipsi essent, et quibuscum bellum gererent.

Docet fabula, eos negligere salutem suam, qui cum potentioribus inimicitias exerceant.

Pro iudicibus mensarum elegantibus.

ESCARUM ORDO:

Sorbitio variis esculentis commixta, Iannuensium more.
Sardiniae ad furnum actae.
Solana edulia recenti caseo farta.

*Hoedus assus cum acetariis.
Artolaganus Patavinus.*

Locosa.

Amicus TUCCIO:

— Autorhedam emi equorum centum.
TUCCIUS: — Bombax! Ecquod stabulum invenies tot equorum capax?

TUCCIUS ad Lactarium:
— Suppedites mihi kilogramma lactis.
— Lac non pondere, sed mensura venit.
— Praebe igitur mihi metrum lactis.

Aenigmata.

I

Vox eadem signo ventum per inane volantem
atque virum qui fert debita thura diis.

II

Simplex lambda mihi est: Poenororum clade trium-
[pho.]

Est mihi lambda duplex? Est lyra nota mea.

FR. PALATA.

Aenigmata in superiore fascicolo proponita his respondent: 1) *Mel-ita*; 2) *Na-vis*.

LIBRORUM RECENSIO

LUIGI COGNASSO, *Colloquia latina*; manuale di conversazione per le scuole medie (Torino, S. E. I., pp. 244; L. 8).

Mihi persuasum nunquam non fuit optimam latinae linguae docendae discendaeque esse consuetudinem cum classicis, quos dicimus, et cotidianum usum inde a primis ludis instituendum, tum ore tenus cum etiam scripto. Ad id, quod maioribus nostris erat usitatissimum, opus est aptis et magistris et libris; atque magistri, dicam plane quod sentio, admodum rari adesse videntur; nam e bene multis, qui publice latinas docent litteras, nec in humilioribus tantum gradibus, nonnisi tres vel quattuor repperi qui-

bus grave non esset latine salutationem excipere ac reddere. Videant consules! Libros non admordum raros eoque minus deesse plane dixerim; nam praecionum hoc nostrum, quo nihil aptius ad rem nostram, plures iam annos clamitat, et docet, et hortatur, et iuvat; eiusque Moderator adiumenta non pauca editis opellis suppeditavit iis, qui ex animo contendant ad usum latinae linguae uti par est inter doctiores renovandum; hic enim spectant quae ille iamdudum edidit *Communia vitae et Parvum Antibarbarum*, alia que id genus.

Neque exemplum sterile prorsus fuit; nam post eum alii quoque in eundem sensum eumdem agrum arare coepere, quos inter Aloysius nunc Cognassius, suis hisce colloquiis latinis. In quibus A. multo plura quam ipse fatetur (p. XII, *Avvertenze*, 1) ab ALMA ROMA praefatisque operibus hausit, ut novae dicendi rationes elegantiores, et vel illa salse concinneque expressa, in quibus Tuccius a Fornario nostro effictus iocando legentem docet.

Exhibit opella cumprimis nomina quaedam quae spectant ad familiam (quid ibi *digitus medicus*?), ad commercium, quod hodie pro mercatura omne genus accipitur, ad cursum publicum, quod nomen a nostro commentario propositum merito iam receptum a doctoribus gaudemus, sicuti *pittacium*, ad electrinam (electricam?) vim, ad studiorum ordines, ad ius, (ubi non omnia laudaverim), ad ferriviam (ferream viam?) aliaque communia in usu vitae.

Succedunt prima colloquiorum adminicula, tum colloquia de bene multis argumentis hinc inde enutrita aut plene hausta, ut quae e Vives atque ex Erasmo: quae tamen puerili atque juvenili vita nunquam excedunt. Itaque Auctori suadere audemus, ut in opella sua iterum edenda ea emendet quae minus latine sonant, ea compleat quae, maxime de virili hominum aetate deque usu socialis vitae, desunt, ut quae ad arma, quae ad artes atque omne genus commercia spectant.

S. R.

IMPRIMATUR: Fr. GABRIEL MONTI, O. E. S. A.,
Pro Vic. Gen. Civitatis Vaticanae.

Dr. JOSEPHUS FORNARI, *Moderator, Sponsor.*

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

REGULUS

[17]

ACTIO DRAMATICA HENRICI JOSEPHI COLLIN

(In Latinum convertit VALENTINUS FEHÉR).

Bo. Non per vos. — Re. Occidet. — Bo. Non per vos; nam superbia
Vostra exarmat nostrum odium. Dic sis, Regule,
Quidnam potest Romanus plusquam alii gloriari?
An solis radii maiore vobis lucent lumine?
Estne aér, quem vos sugitis, melior, potusne suavior?
Mors serius vocat vos, quam nos? Dic sis, Regule,
Numquid potest Romanus plusquam alii gloriari?
Re. Id, quod super servos Quirites possunt gloriari.
Bonis, quae laudas, illi quoque utuntur omnibus,
Sed non tamen contentis animis. Vae illi populo,
Metuens iugo qui cervices alieno subdidit!
Non is est iam populus, sed servorum globus.
Bo. Ut ante fuit, sic suis servabit legibus.
Re. Sed lex tamen et origine et fine variast.
Servo conventum, inter fratris quod pro lege ducitur,
Reputans mentem atque animum, quo natio fit populus.
Aliena civitas sic est mihi, ut alienum iter;
Cur ad illam teneat? nam vincula cara sanguinis,
Sensus aequalis civium atque linguam patriam,
Quae animos hominum iungit, bonae leges custodiunt.
Bo. Sed quid, si victus Etruscus, sicut tu, cogitat?
Re. Si sic sensisset, non a nostris esset victus copiis.
Bo. Sed si tamen reputarit, qui res futura sit?
Re. Semel Colossi collapsi se difficulter erigunt.
Bo. Itaque Roma solast, circum quam tuae cupidines,
Conatus atque opiniones in angusto circulo
Vortuntur. Istaec Romast vobis orbis terrarum omnium
Aliusque rei publicae civis pro nullo habetur homine;
Vostra felicitas est exigui numeri, modo quae se elevat,
Modo volat, quasi unda maris, in gaudio multitudinis.
Istac ergo felicitate di tenentur caelites?
Ex beneficiis amor et praesentia deorum noscitur.
Ubi quivis homo ad lumen solis artus calfacit,
Ubi telluris ubertas illi suppeditat copiam,
Ubi vir atque uxor liberis delectantur suis,
Suam qui ipsorum propagent naturam atque indolem,
Ubi quis gaudio elatus sic clamat: hic caelo fruor: